

3782

Postcommunio P

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Plácido et Sóciis eius; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Die 6 octobris

S. Brunonis Conf.

III classis

Missæ Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis I loco [24], cum orationibus ut infra:

3783

Oratio P

Sancti Brunónis Confessoris tui, quæsumus, Dóminè, intercessiónibus adiuvémur: ut, qui maiestátem tuam grávitèr delinquéndo offéndimus, eius méritis et précibus, nostrórum delictórum véniám consequámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

3784

Secreta C

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

3785

Postcommunio P

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Brunóne Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniamur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Die 7 octobris

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
A ROSARIO

II classis

Antiphona ad Introitum

Gaudéamus omnes in Dómino, 3786
diem festum celebrántes sub
honóre beátæ Mariæ Virgi-
nis: de cuius solemnitate
gaudent Angeli, et colláudant Fílium
Dei. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum ver-
bum bonum: dico ego ópera mea Regi.
V. Glória Patri.

¶ In Missis votivis:

Ant. ad Introitum Sedulius

Salve, sancta parens, eníxa puér- 3787
pera Regem: qui cælum terrám-
que regit in sæcula sæculórum.
Ps. 44, 2 Eructávit cor meum ver-
bum bonum: dico ego ópera mea
Regi. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus per vitam, 3788
mortem et resurrectionem suam
nobis salutis æternæ præmia compará-
vit: concéde, quæsumus; ut, hæc my-
stéria sacratíssimo beátæ Mariæ Vir-
ginis Rosário recoléntes, et imitémur
quod contémnt, et quod promittunt,
assequámur. Per eúndem Dóminum.

Et fit commemoratio S. Marci Papæ
et Confessoris:

Oratio

Gregem tuum, Pastor æternæ, pla- 3789
cátus inténde: et per beátum
Marcum Summum Pontíficem per-
pétua protectióne custódi; quem to-
tius Ecclésiæ præstitisti esse pastó-
rem. Per Dóminum.